

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

defunt, qui referant, plures ab officiis in aulâ à morte regis esse deturbatos, & alios subiectos. Scorum Regis, D. à Valentia, amandata est à Regina & filio Regis ab aulâ & erepta ei munera potiora, quæ dederat Rex. Ex Italia habemus, in Agro Mediolanensi caritatem esse frumenti maximam, & Mediolanensem Gubernatorem Capitaneos retinere, forte quod architectetur nova molimina contra Pedemontium. Veneri curarunt suos per totam ditionem lustrari. Galeonem iidem suum submersum in portu recuperarunt maximis impensis. Incerta fama volat, Papam esse mortuum. Vale in Christo JESU. Reverende & chariss. frater. Basil. 8. Augusti, Anno 1559.

*Saluta meis verbis Symmistas & Sturmium Daspidium amanter.*

T. Sulcerus.

LXXV.

*S. D. Reverende Vir & Carissime Frater.*

Jurisconsultus est in his regionibus, natus in familiâ nobili, Georgius Comerstadius, qui trium Ducum Saxonie consilia rexit, Georgii, Henrici & Mauritii. Nunc de præcipuis rebus à Duce Augusto consulitur. Et cum Justitiæ & pacis amans sit, etiam belli tempore Principum iracundiam sæpe leniit. Præcipuè etiam transactionem inter Duces Saxonie gubernat. Hujus Georgii Comerstadii filius, Julius Comerstadius, nunc ad vos proficiscitur, & aliquandiu JurisConsultos vestros audiet. Quæso ut eum & propter Patrem, & propter ipsius modestiam complectaris, & amicis commendes. Gratitude bene meritis gubernatoribus debetur. Idè Patri ostendere cupio, nos ejus beneficia magni facere. Adolescens etiam ornatus est Principis beneficio, qui in Collegio Mysnensi præpositi, ut nominant, ei tribuit. Edidi responiones de inquisitione Bavarica, quas ut inspicias, valde te oro. Videbis me consulto quasdam horridas disputationes seposuisse. De quibus non despero, nos coram collucuturos esse. Sed oro, ut de libello toto judicium mihi tuum significes. Sturmii & vobis omnibus salutem opto. Bene vale & rescribe. Calend. Septembris, Anno 1559.

Philippus Melanthon.

LXXVI.

Ex Italiâ hodie accepi, nondum esse creatum Pontificem, idque ob Cardinalium dissidia, Farnesii & Mantuani, qui invicem odio plusquam Vatiniano insectantur. Sedem ambiunt plures. Conscripserunt plures ar-

ticu-